

DISSERTATIO INAUGURALIS

S I S T E N S

**E X P E R I M E N T A**

A D

COMPARANDAM VIM ANTISEPTICAM  
ACETI, NITRI, SALIS COMMUNIS,

ET

**C H L O R E T I C A L C I S**

I N S T I T U T A .

QUAM ANNUENTE

**I N C L Y T A F A C U L T A T E M E D I C A**

P R O

**D O C T O R I S M E D I C I N A E G R A D U**

R I T E C O N S E Q U E N D O

**I N A L M A A C C E L E B E R R I M A R E G . S C I E N T I A R . U N I V E R S I T A T E**  
**P E S T I E N S I**

P U B L I C A E E R U D I T O R U M D I S Q U I S I T I O N I S U B M I T T I T

**J O S E P H U S K A I S E R**

H U N G A R U S A L B A R E G A L E N S I S .

---

In theses adnexas disputabitur in Palatio Universit. maiori  
Die 16 Aprilis 1831.

---

**B U D A E ,**

T Y P I S T Y P O G R . R E G I A E U N I V E R S I T A T I S U H N G A R I C A E .

**DISSERTATIO**  
**OCCASIONE FESTI SEMISECULARIS**  
**IN ALMA AC CELEBERRIMA**  
**REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE**  
**HUNGARICA**  
**DIE 27. JUNII 1830.**  
**SOLENNITER CELEBRATI**  
**E RECTORIS MAGNIFICI**  
**LARGISSIMA MUNIFICENTIA**  
**PROEMIO AUREO**  
**DONATA.**

PERILLUSTRI AC SPECTABILI

DOMINO

IGNATIO A STÁHLY

AA.LL. ET PHILOSOPHIAE, MEDIC. AC CHIRURGIAE  
DOCTORI, ANATOMIAE ELEMENT. PROFES. P. O.  
II. COMIT. ALBENSIS, KRASSOVIENSIS, NEÖGRAD.  
ET TOLNENSIS TABULAE IUDICIARIAE ASSESSORI,  
FACULTATIS PHILOSOPHICAE MEMBRO

AC

REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNGARICAE  
EMERITO

RECTORI MAGNIFICO

**V I R O**

**ANIMI CANDORE, INGENII SAGACITATE,  
SCIENTIA, HUMANITATE AC LIBERALITATE,**

**NEC NON**

**INVINCIBILI IN SUOS DISCIPULOS AMORE**

**VERE INSIGNI**

**HAS LABORUM PRIMITIAS IN TESSERAM  
PERPETUAE GRATITUDINIS, ET PROFUNDAE  
VENERATIONIS**

**SACRAT**

**AUCTOR.**

---

## Lector Benevole!

**P**raesens quam cernis dissertatio pro obiecto sistit resolutionem quaestionis tertiae, quam, ab Inclyta Facultate medica pro solennitate Festi iubilare restauratae per **DIVAM MARIAM THERESIAM** Regiae Scientiarum Universitatis Hungaricae annum quinquagesimum recolentis, propositam, per me resolutam, ac ab eadem Inclyta Facultate proemio aureo gratiose dignatam, pro specimine inaugurali conscripseram. Complectitur haec comparisonem virtutis antisepticae Aceti, Nitri, Salis communis, et Chloreti calcis, quam ut eo securius enodarem, ad instituenda experimenta mihi recurrendum fuerat, quibus eorum *vim tam putredinem arcendi, quam eam imminuendi, aut supprimendi* comparative determinare studui; quo scopo pondera salium eadem in statuta aquae quantitate solvi, ita ut vigore propositae quaestionis

Salis communis pondus unum, aquae pondera quatuor

Nitri — — septem

Chloreti calcis — — decem

pro medio solvente nancisceretur, adhibita in aliis experimentis determinata solutionum mensura.

Officinam laborum suppeditavit cubiculum amplum, undique cinctum, nihilominus sufficienter collustratum, cum aëre externo mediante alio cubiculo communicans, temperaturae proin aequabilis, nec facile mutandae, ut indicante thermome-

tro die nocteque gradus caloris sibi constans esset, nec nisi intra plures dies uno aliove gradu augeretur, aut minueretur, ita ut eius minimum  $15^{\circ}$  R., maximum  $17^{\circ}$  R., medium autem ut communiter fuerat  $15^{\circ}$  R. indicaret.

His ita comparatis ante omnia observationes institui cum carne, pisce, sanguine, urina, etc. sub conditionibus putredinem inducentibus iisdem, ut connotarem putredinis per sua stadia decursum, et simul tempus quo singulum corpus indiget, donec putredinis indicia prodat, quibus manifeste evolutis, eadem corpora ponderis defixi cum liquidis antisepticis aequae mensura determinatis in contactum posui; paulo tardius eiusdem speciei corpora in statu recenti cum suprafatis liquidis exposui sub iisdem aëris et temperaturae influxibus, phaenomena succedentia observavi, et determinavi:

*An liquida antiseptica putredinem suppriment?  
an praesertant?*  
*An liquida illa defusa foetorem contraxerint? an  
minus?*

Porro vestimenta linea pauperum infirmorum arcte cohabitantium medio liquidorum illorum lavare iussi, et effectus lotionis adnotavi. Tandem exposui liquida antiseptica in locis foetentibus mihi quam maxime obviis, et observavi: *an eadem foetorem sufferant, an ipsa foetorem contrahant, vel non.*

His in serie experimentorum conformiter in-nixus, in quantum tenues vires admiserant, resul-tata petita caute deducere conabar; quod si prae-stitisse me censeas, non est, quod ardui operis me poeniteat.

---

# Observationes

circa corpora putredini commissa.

**C**orpora designata exposui loco in exordio citato sub iisdem conditionibus putredinem inducentibus sine illo, ut observarem ac determinarem phaenomena durante putredine ingruentia, simul et tempus ad singuli corporis putredinem desideratum exacte definiendum.

a) *Caro bubulina* ex animali pridie mactato desumpta, in frusta minora conceissa, et aqua parum irrorata sequentia exhibuit observanda:

Caro iam altero ab expositione die odorem foetentem, tertio magis auctum offert, fibra adhuc rubella mucro tegitur; quarto foetor ingens, in superficie aquae parcae carnem humectantis iam putridae pellicula alba comparet; quinto caro vermibus conspurcata cernitur; sexto tandem die caro mucro spisso coloris grisei obducta, vermibusque copiosis scatens adeo foetida est, ut prae foetore cadaveroso amplius intolerabilis esset.

b) *Piscis* (Cyprinus alburnus) vivus dilaniatus altero die nullum exhibet signum putredinis, sed tertio branchias pallidas, odorem parumper foetidum offert; quarto odor fit foetidus, caro pallidior, aqua humectans pellicula transparente tegitur; quinto vermibus conspurcatus pro parte mucrosus odoris foetidissimi; sexto caro livescens odoris cadaverosi, vermibus vivis obsita summum putredinis gradum manifestat.

c) *Urina* hominis sani altero die exhibet nubeculam exiguam, secus est limpida odoris urinosi; tertio fit turbidior, ingrate olens; quarto spargit odorem speciose acidiusculum, tegitur pellicula obscura mucore obsita, in fundo conspicitur mucus copiosus instar floccorum natantium; quinto odor intensior; sexto prioribus phaenomenis incrementibus odor nauseose acidiusculus percipitur; tanta corruptione insecuta, ulterius pro putredine liquidis antisepticis sufferenda constituit obiectum.

d) *Sanguis* e porco recenter mactato desumptus eodem adhuc die in placentam et serum discessit; sero superfluo usque ad iustam quantitatem defuso, nec subsequo die visibilem obtulit mutationem; *tertio* in parte placentae luci obversa colorem lacte rubrum, in opposita fuscum cernere licuit, serum est profunde rubrum, in superficie offert maculas pingues, odor sanguini proprius iam obtuse foetens; *quarto* placenta mollior coloris magis fuscis, odoris manifeste foetidi; *quinto* placenta fere resoluta, nigra, foetida; *sexto* ut heri; *septimo* odor foetidissimus cum mucore in superficie comparente; *octavo* signa hesterna intensiora cum substantia mucosa superficiali; *nono* odor foetidissimus cum mucore et resolutione sanguinis partiali ulteriorem observationem interrumpere iubent.

e) *Caseus* recens, conscissus, aqua parum humectatus, ac liuteo humido tectus altero die nihil memorabilis offert, sed die *tertio* est mollior, parum mucilaginosus, *quarto* mollities augetur, odor ad sensum acidiusculus; *quinto* odor acidiusculus comprobatur, mucor superficialis comparet; *sexto* odor memoratus increscit, mucor fit largior; *septimo* odor est ingratis acidus, consistentia gelatinosa, in superficie mucor albus tomentosus; *octavo* odor foetidiusculus, mucorosus, hinc inde plures vermes (*Acarus casei*) conspiciuntur; *nono* odor foetidus, vermes numero aucti; *decimo* verminibus corrosus, pro parte mucore consumtus peculiariter foetidus experimento primo substernitur.

f) *Brassica acida* altero die pallidior, odoris eiusdem proprii, sed mitioris; *tertio* mucore obducta consistentiae mollioris, odoris acidi minus grati, *quarto* color pallidus, odor mucorosus; *quinto* color flavicans, consistentia mollis, attactu parum mucilaginosus; *sexto* mucor nimis accumulatur, odor mucorosus in foetidum vergit, caetera ut heri, insecuta itaque corruptione tentamini cum liquidis antiseptiis subiicitur.

Observationes cum carne, sanguine, et brassica acida repetitae similique successu terminatae ad horum phaenomenorum indolem genuinam comprobandam, et reliquorum identitatem a posteriori demonstrandam non parum contulere.

Ex hucusque observatis patet tempus insecutae putredinis iam sub iisdem conditionibus pro ratione corporum diversum quidem, non tamen multum differens esse, cum



eadem ipsa corpora magis pro ratione temperaturae inter  $0^{\circ}$  et  $43^{\circ}$  Reaum. possibilem, quam ratione suae qualitatis in eandem ruant; illud corpora eiusdem qualitatis diverso temperaturae gradui exposita, hoc vero observationes iisdem sub circumstantiis cum diversis corporibus factae evincunt; etenim caro inde ab obitu animalis post exactos octo dies, piscis post sex, urina aequae sex, sanguis novem, caseus decem, brassica acida tandem post sex exactos dies usque ad evolutum fermentationis putridae gradum devenerant, quamvis initia putredinis in carne dies quartus, in pisce tertius, in urina aequae tertius, in sanguine quartus, in caseo quintus, in brassica acida rursus quartus manifestaret, adeo, ut tempus intermedium ab expositione corporum recentium sub circumstantiis iisdem putredinem inducentibus usque ad primam huius manifestationem, cum eo ab incipiente putredine usque ad eius Acme transactum, vix non semper correspondeat.

## Experimentum Primum.

Huius obiectum constituunt liquida antiseptica cum corporibus putridis sine fermentationem putridam suppressendi exposita, quo scopo corpora memorata pro singulo experimento ponderis defixi ad *Uncias duas*, cum pondere salium ad *Unciam semis* pro singulo corpore admensurato, ac in statuta aquae quantitate soluto, eo Aceti arbitrarie ad *Uncias quatuor* designato, experimento subiecti iisdem sub circumstantiis, sub quibus in fermentationem putridam abiverant.

### A) *Acetum.*

a) *Caro*, altiorem putredinis gradum, ut supra adnotavi, attigens, cum Aceto exposita illico odorem mitigatum offert, sed et Aceto parum de odore suo communicat; altero die caro rursus spirat odorem putridum, sed similem ei apud cerdones occurrenti, consistentia eius est mollis, vermes emoriuntur, liquidum Acetum redolet, sed difficiliter percipiendum, secus odor idem cum carne; *tertio* die liquidum continet floccos mucosos ei iunatantes, quibus caro magis ac antea destituitur; *quarto* caro densior ac ante; *quinto* fibra eius firmior, odor peculiariter

foetens, quasi acidulo - putridus. Liquidum defusum, odoris magis putridi, quam acidi, est floccosum vermibus mortuis refertum, manifestó indicio putredinis decursum interrupisse, imo et indolem carnis aliquantum emendasse, neque tamen penitus sustulisse, simul odorem putridum contraxisse, et partem carnis resolutam solvisse. Hoc necdum contentus effectu, eidem carni recens affudi Acetum, et odor foetidus illico suppressus est; altero die odor Aceti antea fragrantis moderatur, fibrae carneaefirmiores mucilage minus obducuntur, liquidum floccos mucosos exhibet; *tertio* idem, quod heri conspicerelicuit; *quarto* odor acidus mitis, liquidum a mucosoluto rursus turbidum; *quinto* caro pallide rubra odoris acetosi, liquidum floccosum; *sexto* fibra carnea firma, densa, rubra fere ut recens, odoris acidiusculi, liquidum odoris acidi praevalente eo foetido in gradu minori, adeo, ut Acetum vini vulgare altera vice carni putrido affusum putredinem suppresserit, simul et foetorem aliquem contraxerit.

b) *Piscis* Aceto expositus ex odore putrido illico multum amisit, vermes pro parte enecantur, pro parte repunt ad latera vasis, pro parte se recipiunt ad superficiem superiorem frusti Aceto innatantis, ibique cum nullo immediatum Aceti contactum experirentur in dies rapidum capiunt incrementum; altero die reapse odor piscibus putridis Aceto conditis simillimus, aut secus comparandus cum eo vasorum pisces recondentium, immundorum, ac dein exsicatorum cum exiguo odore acetoso; *tertio* die liquidum continet mucum forma floccorum ei innatantium; *quarto* odor piscis est harengi ingratisolentis instar percipiendus; *quinto* odor foetidus indolis cadaverosae, vermes in superficie piscis Aceto non tecta nimis evoluti, liquidum spissum, floccosum, parum acescens guttas pingues ei innatantes exhibet. Acetum proinde et hic putredinem ulteriorem impedit, praesentem emendavit, ast ei penitus sufferendo minime par erat, licet etiam odorem putridum pro parte attraheret, pro parte vero immutaret, ideo et in hoc casu defuso Aceto corrupto, rursus recens affudi, eo effectu, ut odor putridus praevalente Aceto fragrante momentanee arceretur, altero die omnes vermes emortuos conspexi in superficie Aceti degentes, odor Aceti licet manifestus, obtusior tamen relate ad diem praecedentem, piscis consistentia mollior non emendatur, liquidum est floccosum, sordide album; *tertio* ut heri;

*quarto* puncta pinguia super Aceto apparent; *quinto* piscis odoris acetosi, eo proprio nihilominus praedominante; Acetum econtra de pisce aliquem communicatum monstrat, secus turbidum ut ius piscinum; *sexto* carnis piscinae odor magis acetosus, caeterum mollis, alba, nullus vermis, nullus mucor adest, Acetum ipsum spissiusculum odorem piscis manifestando extra dubium ponit virtutem piscis putridi ulteriorem. destructionem impediendi, ac iusta dosi (hic ob repetitionem quadrupla) affusum demta mollitie per putredinem inducta, caetera putredinis indicia sufferendi, ita tamen, ut ipsum odorem foetidum attrahat.

c) *Urina putrida* cum Aceto mixta praevalet huius odore nullam putredinem arguit, fit limpidior, flocci mucosi resolvuntur, mucor evanescit; altero die praevalet odore Aceti, idem urinae attentione licet peculiari in eum directa difficulter percipitur usque diem *quartum*, tunc rursus flocci copiosi fundum petunt, liquidum odoris subacidi fit limpidum urinae sanorum simillimum, in quo statu per quatuor dies asservata quin vel minimam mutationem offerret permanserat, cumque urina Aceto mixta quae talis separari non possit, saltem e phaenomenis constantibus penitus sublatae putredinis argumentum pro virtute antiseptica Aceti, et in hoc casu pugnant vincit.

d) *Sanguis* affuso Aceto odorem putridum iam prima die amittit neququam amplius recuperandum, mucor disparet, mucus parvus Aceto solvitur, pars placentae resoluta lente condensatur, adeo, ut iam altero die nulla prorsus putredinis indicia conspicerentur; ulteriore deinceps observatione in diem quintum facta patuit placentam fuscam, condensatam, consistentiae friabilis, odoris ac saporis acidi esse. Liquidum nonnisi rubro colore tinctum odorem acidum retinuit. Acetum proin putredinem sustulit, quin foetorem attraxisset.

e) *Caseus putridus*, altero die ab affuso Aceto offert odorem proprium, nec amplius putridum proin normalem prae Aceto eminentem, vermes emoriuntur, liquidum antisepticum fit sordide flavicans, odoris parum caseosi; *tertio* mucor antea tomentosus disparet; *quarto* consistentia antea gelatinosa fit spissior; *quinto* caseus est odoris et saporis acidiusculi, ita tamen ut proprius praeponderet, liquidum turbidum odoris caseosi; *sexto* casei color superficialis sordidior, interne albus, odor et sapor ut heri, consistentia friabilis, ipsum Acetum flavescenti griseum

odoris est mitis cascosi, proin putredinem penitus suffe-  
rendo odorem sibi concivit.

f) *Brassica putrescens* Aceto perfusa odorem foetidum subito celat ac Acetum redolet; altero die dispareret mucor; tactu non est mucilaginosa, redit color normalis, consistentia minus mollis; liquidus odor analogus ei peponum, acidulo parum praevalente; tertio die obtusior, quarto mucorosus, ita et quinto; sexto brassicae odor acidiusculus, color sordidior, septimo brassicae Acetum redolet, odor liquidus constanter mucorosus, sapor acidus, octavo brassicae consistentia normalis, color obscurior fere rufescens, odor et sapor acidus est, mucor nullus, liquidum ut heri. Putredine sublata ipsum Acetum contracto odore corrumpitur manifesto in vapescentiam visum.

g) *Ova gallinacea* cadaverose olentia, crustam livescentem offerentia, quorum unum contusum, alterum integrum expositum eam exhibere differentiam, ut illud ad affusum Acetum huiusce odorem illico manifestaret, quin sub observatione trium dierum de proprio quidquam redoleret; istud vero altero die putamen emollitum, tertio penitus secedens exhibuit, remanente cuticula albumen et vitellum recondente, ubi hanc die insequente rupissem, protinus effluxit albumen diaphanum cum separato vitello flavo, nullum nisi Aceti odorem offerentia, licet caetera eiusdem conditionis ova sed Liquidis antiseptis necdum tractata iam cinereo, iam fusco flavum imo et nigricantem colorem exhibuissent. Acetum autem odorem proprium non tamen fragrantem retinueret, proin sublata putredine nullum odorem attraxisse experimentum probat.

Ex his prouti in singulis adnotavi, patet Acetum tanta vi antiseptica gaudere, ut ipsa corporum penetralia accederet, statum priorem in plurimis exigua cum differentia reduceret; interim haec non ubique pari passu incedere, imo in carne ac pisce, ut effectus subsequatur, duplam dosim requiri, in sanguine plane eandem dosim iusto maiorem esse singulorum particularium ad invicem relatione luculenter evincit.

## B.) *Nitrum.*

a) *Caro* ad affusam Nitri solutionem de odore putrido illico multum remisit, quin tamen is cessaret, imo de eo ipsum liquidum non parum allegerat, eodem statu et

altero die perdurante color carnis fit intensius ruber, vermes omnes enecati cernuntur, *tertio* die et carnis et liquidum odor intensior est usque diem *quintum*; tunc plane talis observatur, qualis apud pelliones circa pelles crudas; caro sodide rubra, coloris fere lateritii mucilagine adhuc cingitur, liquidum ipsum rubellum, spissiusculum ac foetidum est; patet hinc Nitrum initio fermentationis decursum sufflaminasse, non tamen sustulisse, imo communicata a carne corruptione eam et ultro fovere incepisse, ideo defuso liquido aliud recens eandem Nitri quantitatem continens affudi, ac die sequenti observavi carnem minus mucosam, sibram eius rubellam, mollem, liquidum limpidum rubellum odoris ut caro ipsa foetidi, cum carnis parum adustae mentientis, liquidum in dies spissius una cum carne corrumpitur, adeo ut die *quinto* comprobata ulteriori ad carnem emendandam inefficacia e serie experimentorum exularet.

b) *Piscis* odor ad liquidum antisepticum parum moderatur, imo illud in ratione directa deperditi odoris eodem impraegnat, quin impediri potuisset, ne die subsequo iterum ad eundem gradum devehatur, et iam modo liquidum tenui pellicula tegitur; *tertio* liquidum ob floccos inatantes spissius evadit, eius odor ingratus augetur, defuso post biduum liquido, ac pisce elutriato, conspexi carnem in superficie rubellam, intus albam, non nimis densam, sed nec diffluentem, parco mucro tectam, odoris tolerabiliter foetidi. Non succedente e votis experimento, etiam huic altera vice recentem Nitri solutionem affudi eodem effectu, cuius superius de carne mentionem feceram, tantum quod odor piscis foetentis ingratus nares vellicaret, etsi multum ab eo in putredine constituto differret, adeo, ut tantum de putredine ei detraheretur, quantum in se recipere valeret Nitri solutio; utque haec solutio odore attracto ipsa corrupta minime priorem integritatem pisci restituere posset.

c) *Urina* affusa Nitri solutione odorem foetidum sat notabilem retinet, ob dilutionem eius pelluciditas intenditur; *altero* die odor urinosis rursus praevalet, consistentia fit spissior, abhinc usque diem *quintum* odor ei urinae recentis similis; *sexto* et *septimo* floccos griseos in fundum deponit, liquidum flavicans limpidum evadit, conservato interea odore normali, adeo, ut erga urinam Nitrum non

exiguum in suppressenda putredine efficaciam exserat, sed eam tantum lento passu inducat.

d.) *Sanguis* altero die foetorem multo mitigatum exhibet, liquidum antisepticum crusta tenui irisante tectum offert odorem sanguineum iam iam in putridum vergentem; tertio die sanguis minus foetens ac heri, in solutione superfusa spuma comparet; quarto sanguis liquido solvi videtur, quinto sextove fere penitus resolutus, nec aliud praeter odorem ei Tulipae analogum quidquam memorabile sistit, adeo, ut sanguis a Nitro fere penitus decompositus nulla amplius exhibeat signa putredinis, imo potius alteratus per processum fermentationis putridae, legibus chemicis anorganicorum iis organicorum substitutis necessario obtemperet, unde saltem sub hoc respectu virtus antiseptica solutionis Nitri erga sanguinem explicari poterit.

e) *Caseus putridus* altero die odorem sibi normalem spirat, vermes ad unum omnes emoriuntur; liquidum antisepticum est sordide flavicans, odoris moderate caseosi, tertio liquidum prae mucro soluto est spissius, caseus vero consistentiae mollis, quarto fere totus in pulvem abit, huius uti et liquidi iam nimis spissi, sordide albi odor caseosus in putridum vergens; quinto et sexto status idem, liquidum praeterea mucore albo furfuris instar obsitum, manifesto indicio putredinem pro tempore suppressam, et corrupto per putrida effluvia liquido, eam rursus recruduisse, ipso liquido odore putrido scatente.

f) *Brassica* antea acida, nunc putrida altero die obtulit odorem brassicae acetatae gratum, quem etiam liquido communicavit, mucor disparuit, deinceps autem odor acidus sensim adeo alienatur, ut iam quarta die vapesceret, quinto sextove color brassicae sit sordidus, liquidum odoris acescentis in mucorosum cadentis mucore obductum cernitur, altero die reapse odorem mucorosum exhibens, ut ipsa brassica, adeo, ut iam corrupto in diem octavum liquido concluderim et hic initio fermentationem putridam repressam fuisse liquido antiseptico odorem participante, sed ubi liquidum corrumperetur manifestum est fermentationi obstacula poni non potuisse.

g) *Ovum putridum* contusum affuso liquido odorem ingratisimum non perdidit, sed dupla Nitri quantitate scilicet ad *Unciam unam* in congrua solutione odor multum mitigatus, neque penitus sublatus, tantum tolerabilis eva-

sit; ovum autem putridum, non fractum, post tertium experimenti diem adhuc exhibuit odorem cadaverosum. Nitrum itaque impedito solum in casu priori putredinis ulteriori incremento, ovum contusum diluendo odorem putridum contraxit, in altero casu attracto licet odore nihil praestitit.

E supra recensitis patet in genere recentem Nitri solutionem pro diversitate corporum putredinem plus minusve mitigare, neque aliter quam resolutionem corporum inducendo eam penitus sufferre, secus odorem valde attrahere, facile corrumpi, corruptumque reiterandae putredini minime obicem ponere posse.

### C) *Sal communis.*

a) *Caro putrida* solutioni Salis communis exposita altero die odorem putridum multo mitigatum, ac vermes encatos offert, ipsum autem liquidum ingratis olet; *tertio* caro magis rubicunda, odoris foetidi intensioris, qui diutius capit incrementa; liquidum fit rubellum spissiusculum aequè putridum redolens; defuso liquido caro mollis bis elutriata offert superficiem floccosam cum odore pellem crudam aqua humectatam mentiente; renovata eadem dosi Salis solutione iam altero die observatur odor paulo mitior, caro pallidior, liquidum rubellum: utrumque autem odoris supra memorati, eo liquidi relative minus distinguendo; *tertio quartove* die liquidum magis rubellum mucum solutum tenet, carnis odor putridus apprimè percipiendus; *quinto* caro aequabiliter mollis facile findenda odoris foetidi, liquidum prae mucosius odoris fere empyreumatici, secus putridi; unde clara est conclusio carnem in putredine constitutam, ac solutione Salis recenti crebrius perfusam putredine exui; nunquam tamen statum carni recenti vel analogum recuperare, sed potius cum summa probabilitate continuata maceratione in massam adipoceream transmutari, quod carnis consistentia, color, et fibrarum conditio indicant, liquidum autem retento licet sapore salso odorem cum particulis resolutis attrahit, corrumpitur, et qua tale putredinem porro quoque praepedire non posse, in aprico est.

b) *Piscis* Salis solutione tractatus altero die odorem putridum licet mitigatum, magis tamen ac is carnis eodem liquido tractatae percipiendum manifestat; mucus liquido

solvitur; hoc ipsum est opacum, sordide album, cui vermes emortui innatant, in eius superficie comparet pellicula crassior ac ea in pisce Nitro tractato; *tertio* odor piscis moderate putridus; eundem die *quarto*, *quinto*, ac *sexto* observare licuit ea cum differentia, quod odor piscinus non amplius qualitate, sed tantum intensitate maiori peccaret; caro munda mucro libera cernitur, ac relate ad eam cum Nitro tractatam parum lenax est, licet mollitie utcumque magna gaudeat; *septimo* nihil novi connotare licuit; *octavo* carnis color superficialis rubellus interne albus, consistentia densior, nequaquam vero tanta, ut in pisce recenti, sed odor piscis, uti et liquidi longe intensior fuerat. Putredinem itaque infringendo non tamen omnia illius phaenomena tollendo, remanente adhuc aliqua mollitie ac odore ingrato, carneque ei maceratae similii, ipsum liquidum odorem sibi concivit.

c) *Urina putrida* Sale soluto mixta nonnisi odorem urinosum gradus mitioris refert, ad affusum liquidum illico conspiciuntur copiosi flocci grumosi liquido innatantes, ac subsequo die fundum petentes, liquidum de caetero limpidum nullam usque diem *sexto* exhibet mutationem apparentem, sed iam modo odorem acidiusculum spargere tentat, adeo, ut Salis virtus antiseptica sat cito observaretur, eaque per plures dies constans esset, non tamen ita, ut lapsu temporis perstantibus iisdem conditionibus putredini faventibus corrumpi non posset, quod odor acidiusculus *sexto* experimenti die observatus, ei urinae putrescere incipientis analogus indicaverat.

d) *Sanguis* altero die exhibet mucorem album pro parte consumptum, odorem vero multo mitigatum; placenta interne fusca, externe griseo fusca densior est, liquidum rubro-fuscum crusta tenui irisante tegitur, odoris ut ipsa placenta moderate foetidi; *tertio* die placenta fit densior, odor huius uti et liquidi idem qui heri, quae conditio usque diem *sexto* perdurat, tunc sanguinis consistentia iam tanta est, quanta placenta neo exortae, non tamen friabilis ut ea sanguinis Aceto tractati, color placenta perinde ac liquidi antiseptici est rubro-fuscus, odor autem eidem sanguinis coagulati simillimus. Itaque et hic sublata putredine liquidum antisepticum odorem participaverat.

e) *Caseus* affuso liquido odorem acidulo putridum ita exiit, ut is die insequenti nonnisi in gradu mitio-



ri observaretur, quique die *quarto* penitus cessaret remanente odore casei recentis; vermes iam altero die omnes enecatos vidi, mucor sensim disparuit; consistentia olim gelatinosa sensim emendatur, ita ut die *sexto* friabilis esset, nunc masticatus caseus linguam sapore salso ferit, nec ulla praegressae putredinis indicia manifesta, liquidum autem iam altero die tegitur crusta alba, opaca, secus limpidum odorem exhibet caseosum; *quinto* die fit turbidum, *sexto* ob albumen casei solutum evadit spissius, nec aliter quam caseose redolens, manifesto iudicio putredinis sublationem attracto casei odore successisse:

f) *Brassica* cum Sale exposita ante omnia odorem putridum imminutum, post unius diei decursum penitus sublatum offert; eius consistentia mollis emendatur, quin eam, quam habuit, firmitatem adipisceretur, mucor penitus disparet, verbo: brassicae recenti simillima fit; ipsum liquidum saporis salsi, coloris sordide flavicantis, odorem contraxerat, die *tertio* status idem, ast *quarto* liquido partim resorbto; partim evaporato, odor mucorosus rursus ingruit. Unde patet putredine sublata odorem liquido communicatum esse, hoc autem prae calore maiori pro parte evaporato nisum in corruptionem impedire non potuisse, qui, affuso liquido recenti, certo praeverti poterat, fundata virtute Salis antiseptica.

g) In *Ovis* putridis nihilo melior successus fuerat, ac is in *Ovis* Nitro tractatis.

Salis virtutem antisepticam in sufferenda putredine non exiguam esse experimenta cum urina, sanguine, caseo et brassica instituta luculenter probant, sed in carne, pisce, ac ovis efficaciam parvam exseruisse supra dicta loquuntur, adeo, ut substantiae carnosae iam putridae non nisi repetita recentis solutionis affusione ab ulteriori destructione retineri, imo pro parte, neutiquam vero penitus emendari potuerint.

## D) *Chloretum Calcis.*

a) *Caro putrida* solutione Chloreti calcis tractata, illico post huius affusionem odorem adeo sullaminatum exhibet, ut Chlorio praevalente penitus arceretur; vermes emoriuntur, etsi mortis periculum effugere omnimodo conentur; altero die et carnis, et liquidi odor parum analogus est ei amygdalarum amararum, in superficie liquidi

spuma copiosa, non autem, ut secus fieri solet, crusta comparet, liquido albo opaco persistente; *tertio quartove* die odor Chlorii moderate percipitur; caro extus pallidi, intus rubelli coloris, consistentiae densioris, odorem eundem moderate spirat, nec ullo observatorem aggravat putredinis indicio, adeo, ut Chloreti calcis insignem vim antisepticam extra dubium posuerit, quin eius solutio de putredine vel minimum participaret. Hanc carnis cum Chloreto calcis tractationem ulteriori disquisitioni relinquendo observavi odorem Chlorii sensim in alcaliscentem transire, in fundo vasis copiosum sedimentum cretaceum deponi, coloremque liquidi illi virescenti griseo accedere, caro ipsa odoris Chlorii, libram rursus molliorem, penitus pallidam, ac levi negotio lacerandam exhibet, certo indicio etiam solutionem Chloreti calcis, Chlorio deficiente, cum suis contentis qua corporibus naturae organicae in corruptionem abire, salva eius virtute antiseptica, caeteris paribus in statu recenti quam celerrime ac intensissime insequente. Ad hoc probandum et illud confert, quod caro putrida repetitis vicibus solutione Nitri, Salis, ac Aceto recenti incassum tractata, per parcam Chloreti calcis solutionem intra nycthemerum adeo emendata fuerit, ut cessante odore putrido etsi iam antea mitigato, eum Chlorii manifestaret.

b) *Piscis* ad affusionem liquidi odorem putridum ad sensum momentanee perdit, vermes enecantur, liquido Chlorium eructante; ast *altero* die piscis pro parte virescens odorem putridum etsi non intensum celare non poterat, liquidum autem nares odore alcalino vellicat; *tertio* die piscis odor putridus longe mitior, *quarto* penitus cessat, nec aliud quam Chlorium redolet, ipso liquido ab hoc odore vix non immuni; consistentia piscis sensim fit densior, carnis color superficialis flavus, interne albus, squamiae quemadmodum in piscibus caeteris liquidis tentatis acciderat, hic plane non secedunt, ipsa ovula sub putredine muco involuta nunc ab eo libera, magis cohaerentia, fere ut recentia conspiciuntur; liquidum est albo opacum, odoris obtuse acidi, attentione tamen scrupulosa in eum directa, nec odor piscinus sensum effugit, adeo, ut putredine sublata odorem piscis licet moderatum cum proprii odoris notabili iactura attraxerit.

c) *Urina* ad affusam Chloreti calcis solutionem effervescent, colorem albo opacum induit, loco odoris nauseoso

aciduli cum Chlorii spargit, nec ulla praegressae putredinis indicia prodit; *altero* die percipitur odor alcalescens, *tertio* aequae, sed mitius; *quarto quintove* odor Chlorii moderatus rursus distinguitur; liquidum superne pellucidum coloris flavicantis, inferne spissius albo-opacum, commotum ubique sordide album est; *sexto et septimo* odorem fumosum distingere licet, iam spuma flavicans constanter superficiei innatat, caetera ut ante triduum. E quibus evidens est, solutione urinae putridae iam iam in sua pro parte elementa resolutae superfusa, novam partium heterogenearum unionem *Synthesim*, et quarundam separationem *Analysim* inductam fuisse, processu quidem rapide inchoante non tamen momentanee terminato, sed in tertium usque diem lente excurrente, quo legibus chemicis conformiter insecta effervescentia, et iam Chlorium uberius evolveretur, ob cuius relativum defectum *altero ac tertio* die odor alcalescens praevaleret, donec ambo ad mutuam exaequationem absoluto processu chemico devenirent, sicque cuncta putredinis phaenomena fugarentur, nec prius quam die *sexto* spuma flavicante et odore acri fumoso corruptio novitus inchoaret.

d) *Sanguis* iam prima die nullam arguit putredinem, cum e liquido Chlorium in copia eructetur; *altero* die offert massam minus ac antea resolutam, densiorem, interne rubentem, externe crusta virescenti parumper densiori tectam, liquidum rubellum spuma simul et crusta tenui mucosa tegitur, odoris unacum sanguine eiusdem ac Chlorium; *tertio* odor Chlorii qualitate ita mutatur, ut eum amygdalarum amararum percipere putes, qui et deinceps in eo statu permanserat. Sanguis densior externe offert crustam gummi elasticum mentientem, nec aliam postmodum mutationem patitur, adeo, ut *sexto* experimenti die concluderim ad vim putredinem sufferendi Chloreto calcis insitam, quin sanguinis putridi odorem attraheret, nam licet odor amygdalarum amararum qualitativae Chlorii unacum sanguine mutationi debeatur, longe tamen alter est, quam qui putridis effluviis assimilari possit, quia Chlorium cum sanguine recenti expositum non absimilem odorem spargit, quin hic in putredinem abeat.

e) *Caseus* ad affusum liquidum antisepticum momentanee nullam sensibus offert mutationem, altero tamen die conspicio vermes emortuos, caseum tenaciorem, odorem putridum non amplius manifestantem, liquidum autem

coloris flavicantis spuma nivea tegitur, et odorem alcaliscentem naribus substernit; *tertio* caseus densior odorem Chlorii spirat, eo proprio adhuc praevalente, ipsum liquidum minus pellucet, et odorem alcalinum porro quoque retinet, adeo, ut sublata putredine odorem non attraheret. Relicto adhuc per quatuor dies liquido caseus ita induratur, ut antea gelatinae instar mollis, nunc friabilis evaserit, odorem Chlorii manifestius spiraret, nec non colorem caseo recenti quam maxime similem induat; odor autem liquidi manifeste caseosus est.

f) *Brassica* Chloreto calcis exposita illico cum dispendio sui foetoris Chlorium redolet, ac colore flavicante tingitur, die subsequo prae consistentia densiore aspera tangitur, nec *tertio*, *quarto* ac *quinto* die ulla cernuntur putredinis indicia; odor solum Chlorii mitior percipitur, adeo, ut fundata eius virtute antiseptica sublata putredine nullum odorem attrahat; ast ultro quoque sub iisdem circumstantiis relictum spuma amplius non conspicua evolvitur odor acescenti alcalinus, eo Chlorii de die in diem imminuto, ac ita perverso, ut *octavo* die exhiberet odorem fumoso acrem; seu talem, qualem corpus fumo nicotianae crebrius imbutum sistit, color sordide albus in flavescentem vergit, ipsa brassica flava, tactu aspera, consistentiae straminis instar durae acidiusculo gaudet odore; proin liquidum fermentationi porro quoque resistendo ad propriam destructionem usque vim antisepticam tuetur.

g) *Ovum putridum* contusum superfuso liquido antiseptico nulla putredinis indicia praevalente Chlorio exhibuit, sed nec die insequente licet Chlorium parcius evolveretur; *tertio* tamen die odor peculiariter acescens indicat Chloretum calcis exiguo adhuc adiumento opus habere, ut suam virtutem tueri possit. Addidi itaque adhuc *drachmam unam* et putredo penitus disparuit, quin per tres dies retento interea ovo vel a procul se manifestaret; non ita successit cum ovo integro, hoc die *tertio* exhibet putamen asperum, cretaceo album, utut antea hinc inde livore variegatum esset, odore omni privato; ast die *quarto* ovo confracto contentum griseo flavum, resolutum ingrattissimum naribus obtulit odorem cadaverosum. Unde patet efficaciam liquidi in ovum putridum antea contusum sufferendo odori parem esse, sed in ovi integri emendationem non aliud conferre posse, quam ut crustae exter-

nae ne fors suspecto colore tinctae dealbationem inducendo, ac eius odorem foetidum tollendo, latentem in vitello corruptionem celaret.

Ex his patet virtutem antisepticam Chloreti calcis in sufferenda putredine tantam esse, ut iusta dosi adhibitum recentem semper tollat, sed et in putredine Acme suum attingente saltem quoad foetorem sufferendum eandem esse, experimentis Collegii sanitatis Landishuti factis comprobatur, ubi caro sale condita per sex usque octo annos asservata prae foetore non commestibilis adhibito usu repetito Chloreti calcis, subsequa carnis cum Aceto tractatione commestibilis redderetur. Patet porro scopum optatum una eademque dosi non ubique assequi; hoc imprimis praeter putredinis gradum corporum putridorum diversitas determinat, quod etiam in meis experimentis comprobatur, cum licet putredinis gradus idem esset, et liquidum ubique eadem quantitate adhiberetur, tamen effectus desideratus non ubique eodem tempore, eo minus eadem intensitate insequobatur; exemplo sint pisces solutione Chloreti calcis tractati in relatione ad corpora caetera, et horum ad invicem respectus. Patet porro tantum ibi putredinem sufferri posse, ubi liquido antiseptico accessus non denegatur, manifesto exemplo in ovis putridis adducto. Tandem patet effectum longiori tempore durantem corrupto liquido cessare, et non nisi tunc in vigore retineri, si liquido corrupto recens substituatur.

Liquida antisnptica in relatione ad invicem considerata id commune habent, quod longiori, breviorique tempore putredinem inhibeant, quod odorem plus minus attrahant, et si non — saltem proprii odoris detrimentum aut ratione quantitatis, aut qualitatis patiantur. Ea, quae vim putredinem supprimendi concernunt, cum corporibus tractandis speciatim exposui, et generatim in fine subiunxi; quae si recte combinentur, liquidorum antisepticorum virtutem relativam meo iudicio ita classificabunt, ut quoad efficaciam in corpora experimento subiecta primo loco Chloretum calcis, secundo Acetum, tertio Sal, et quarto Nitrum ponatur, quin tamen haec regula omni exceptione maior esset, nam per decursum experimenti evictum est nonnunquam in liquido antiseptico relative debiliore relate ad unum aliudve corpus maiorem latuisse efficaciam quam in eo in genere fortiori, quod iterum experimentum cum ovis putridis institutum comprobatur, ubi ea cum Aceto

tractata penitus emendarentur, licet cum aliis liquidis antisepticiis exposita odorem cadaverosum saltem in gradu cum priori vix comparando amiserint, ova autem putamine integro recondita plane omnem retinuerint.

Quoad usum oeconomicum immediate capiendum in classes ita redigi possent, ut primo loco esset Acetum, secundo Sal, tertio Chloretum calcis, quarto tandem Nitrum, usu autem mediato in considerationem sumto Chloretum calcis omnibus paluam praeripit, cum omnia corpora quaeque penetrare potest emendet, relicto solum in iis odore suo proprio, qui tamen ubi eadem corpora Aceto tractantur penitus disparet, et corporum antea putridorum usum concedit.

Odorem autem putridum pro ratione effluviarum foetidorum, horum intensitate, nec non pro ratione odoris cuiuscunque liquidi antiseptici mitigatum fuisse experimenta docuere, ipsa quoque liquida, prout plus minusve odora fuerant, inversa ratione effluvia putrida minori maiorque gradu contraxerant, adeo, ut secundum hunc respectum, Nitrum Sal, Acetum, et Chloretum calcis semet excipiant.

## Experimentum Secundum.

Scopus huius experimenti est determinatio efficaciae liquidorum antisepticorum in praeventenda putredine corporum sub circumstantiis putredinem inducentibus iisdem sub quibus corpora putredini in experimento primo commissa fuerant, determinando simul, an odorem attrahant nec ne? Hoc fine pondera salium eadem ad *Unciam semis* in defixae quantitatis aquae communis solutione, pondere Aceti ad *Uncias quatuor* aestimato, cum corporibus recentibus ad *Uncias duas* ponderatis, solidioribus in frusta minora conscissis exponebantur per dies decem, ut relatio reciproca horum ad invicem, et cum experimento priori eo exactius innotescat.

### A) Acetum.

a) Caro recens e macello adlata, in frusta dissecta superinfuso Aceto altero die offert colorem pallidum parum cinerascens fere ut Opalus lythoxylon, et odorem

moderate acetosum; *tertio* die coloris et odoris magis ac heri manifesti, consistentiae plane firmioris esse cernitur, liquidum rubellum, pellucidum, adhuc odore proprio sed iam mitigato gaudet; *quarto*, *quintove* die floccos paucos exhibet, *sexto* in superficie comparet mucor *septimo* augendus, de caetero status idem usque diem *decimum*, tunc iam conspexi carnem consistentiae mollioris, odoris acetosi, saltem in superficie superiori, ubi Aceto pro parte evaporato non tegitur odoris foetentis, ipsum liquidum mucorosum continet floccos copiosos; pro sublato odore acetico eum carneum eminenter redolet, adeo, ut facta comparatione cum observatione corporum putrescentium evictum sit Acetum carnem a putredine eousque cohibere, quousque illud soluto mucro, contractove carnis odore in corruptionem non tendat, quae circa quintum diem inchoans sensim augetur.

b) *Piscis* altero die cernitur pallidior, mollior, odore proprio praevalente praeditus salvo Aceti odore, *tertio* adhuc pallidior, squammae facile secedunt, Acetum a solutione materiae mucosae floccosum odorem piscis participat; *quarto* accedunt puncta pingua Aceti superficiei innatantia; *quinto* Acetum floccis magis abundat, abhinc usque diem *octavum* nulla memorabilis intercedit mutatio, sed nunc comparet in superficie Aceti mucor deinceps augendus; *nono* tandem et *decimo* piscis consistentia mollis est, ipsa ovula pro parte pallida pro parte rubella sunt, culis squammis secedentibus mucro tegitur, odor est foetidus, Acetum maiori pro parte evaporatum, mucorosum, piscem redolet; unde patet efficaciam in praeventendam piscis putredinem Aceto competere, sed hanc ob consistiam piscium molliorem soluto mucro, et contracto iam die tertio odore, per subsequentem corruptionem magis ac in carne limitari.

c) *Urina recens* Aceto mixta odorem proprium Aceti odore praevalente exhibet analogum odori sedimenti vini recentis, *altero* die sistit sedimentum floccosum, abhinc nec alia usque diem *nonum* mutatio observatur, quam quod nunc super liquido mucro parvus conspiciatur, *decimo* odore Aceti vix distinguendo praevallet is urinae; liquidum praeter sedimentum floccosum limpidum est, adeo ut vis antiseptica hic prae caeteris se relative magis manifestet.

d) *Sanguis* iam coagulatus usque diem subsequens format coagulum firmiter, coloris una cum Aceto profunde fuscus, odor autem aceticus eum sanguinis penitus supprimit; haec sanguinis et Aceti conditio perdurat usque diem sextum, quo tota Aceti superficies mucore albo tegitur, qui in dies accumulatur, et nonnisi decimo die sanguis in massam nigram ac friabilem conversus odorem Aceti spirat, ipsum liquidum coloris brunei, odoris mitis acetosi, certam ad praeventendam sanguinis putredinem sistit prophylaxim, quin eius odorem sibi appropriaret.

e) *Caseus* maturus in frusta conscissus altero die in superficie sua est mollior, colore pallidior praeditus, odore caseoso praevalente, quem die tertio imminutum una et Aceto communicatum exhibet, tota eius consistentia emollita cernitur; hic status perdurat usque diem quintum, tunc liquidum fit floccosum, sexto mucore parco deinceps in dies incremente obducitur; decimo Acetum odorem casei eminentius spirat; undecimo die tegitur crusta mucosa, caeterum est floccosum, odoris caseosi acidiusculi, ipse Caseus penitus albus, saporisve acidi, offert superficiem gelatinae instar mollem, odoremque cum liquido eundem, quod putredinem per tempus praeventendo ipsum casei odorem contraxit.

f) *Brassica acida* primo die nihil nisi proprium odorem, altero mitiorem manifestat, qui iam modo Aceto communicatur, ita tamen, ut ille Aceti praedominaret, nec alia usque diem quintum mutatio occurrit; tunc superficies Aceti mucore tegitur, odor aceticus die sexto multum mitigatus in mucorosum vergit, qui subsequens diebus luculentius evolvitur, ino die nono etiam brassica eo corripitur, quae praeterea, Aceto evaporante minus bene tecta, in superficie mucore tegitur; tandem die decimo Acetum offert odorem brassicae putrescere inchoantis, adeo, ut putredo brassicae per Acetum quidem praeventatur sed exiguo solum temporis intervallo (per dies quatuor), ita, ut Acetum citius destructum etiamsi brassicae corruptionem non promoveat, saltem deinceps eam non cohibeat.

Ex his concludo Aceti virtutem antisepticam in praeventenda putredine non exiguam esse, in specie autem hanc pro corporum diversitate ita variare, ut in urina, caseo, imprimis autem in sanguine maiorem, in carne minorem, in pisce et brassica acida caeteris paribus minimum exserat effectum.



B) *Nitrum.*

a) *Caro* die subsequo est coloris caeruleo-rubri fere amethystini, consistentiae mollis, odoris proprii, liquidum coloris rubelli, odoris indistincti; *tertio* die caro tenacior, liquidum odoris prunis coctis analogi; *quarto* parumper turbidum odoris moderate carnei; idem status darum aucta intensitate durat usque diem *octavum*, tunc liquidum per evaporationem aliquantum imminutum mucore tegitur, qui altero die augetur; *decimo* carnis superficies aëri patens, coloris lividi, mucro simul ac mucore tegitur, caeterum reliqua caro solutioni immersa, est rubella et odoris carnei; liquidum parco mucore tectum exhibet odorem carnis recentis, certo indicio putredinem carnis quoadusque eam tegetat attracto odore praevertisse.

b) *Piscis* altero die pallidior est, et odorem proprium spargit, sed neuter ita est evolutus, ut in pisce Aceto tractato, solutio Nitri piscem redolet, et iam *tertio* die fit turbida paucis floccis referta, *quarto* sordide alba puncta pingua sistit, in quo statu demto odore intensiore et piscis et solutio usque diem nonum immutatae permanent, tunc in superficie comparet mucor; *decimo* tandem die piscis eiusdem hucdum consistentiae mollior evadit, odorem intensiorem spirat, utut branchiae rubore adhuc tinctae sint; liquidum antisepticum est odoris piscini, putredinem proin praevertendo ex odore participavit.

c) *Urina* altero die odorem proprium licet mitiorem spargit; *tertio* odor eius manifestus; *quarto* sedimentum mucosum comparet, in quo statu liquor *octavum* diem attigerat: tunc superinducitur pellicula irisante, et odor urinosus eminentius ferit nares; *nono* in pellicula neoexorta mucor apparet, *decimo* augendus. Hinc patet liquidum hocce per septimanam sub conditionibus putredinem inducentibus semet incolome continuisse, ac relate ad urinam, solitarie iisdem conditionibus subiectam, plus quam bis tantum temporis emensum fuisse, antequam corruptioni cederet.

d) *Sanguis coagulatus* secunda nonnisi die colorem superficiale in carmineo rubrum convertit; liquor antisepticus sanguineo ruber vix ullius est odoris, sed *tertio* die offert odorem peculiarem, quem improprie dulcem appellare ausim, qui per totum experimenti decursum

constanter aderat, nec nisi circa huius finem disparuit; *quarto* consistentia sanguinis fit mollior, liquidum magis fuscum, hocque in statu mutatione vix notabili subsecuta in *decimum* usque diem perseveravit, quo tempore sanguis fere penitus dissolutus apparet, caeterum residua quaedam pars mollioris ac antea consistentiae, coloris obscure rubri, odoris vix ullius remanet; liquidum autem profunde rubrum mucore destitutum ac omnis odoris expers vim putredinem sanguinis praeventendi iuste arguit, quin saltem ad sensum odorem contraheret.

e) *Caseus* in frusta conscissus altero die offert in superficie colorem sordide album et consistentiam ad unius lineae profunditatem molliorem: liquidum est odoris moderate caseosi de caetero limpidum; sed iam die *tertio* fit album, pellicula tenui tegitur, prae mucro floccorum instar deinceps copiose innatante fit turbidior, et odorem casei evolutum spargit, die *octavo* caseus cum liquido antiseptico pro parte evaporato mucore tegitur altero die magis aucto; *decimo* tandem caseus in superficie solum emollitus, in medullis densior, odoris proprii, hinc inde mucorem in glomerulis praesentat; liquidum turbidum flavicans, odoris caseosi contracto odore, putredinemque pro spatio septem dierum praeventendo, virtutem antisepticam hisce comprobatur.

f) *Brassica acida*, sicut caetera corpora, *primo* die vix ullam mutationem patitur; *altero* liquidum antisepticum odore brassicae gaudet, et in hoc statu usque diem *sextum* permanet, tunc mucore tegitur in dies augendo; *nono* brassicae consistentia fit mollior, odor mucorosus distincte percipitur, liquidum turbidum eodem quo brassica scatet odore; *decimo* eadem ut heri putredinis indicia observantur, proin liquidum mutato odore putredinem usque diem *sextum* arcebat.

Ex hucusque de Nitro prolatis, patet eius virtutem antisepticam in putredine praeventenda tam relate ad corporum integritatem, quam ad effectus diurnitatem, in genere prius attracto odore, desiderato coronari effectum; notandum tamen venit, quod efficaciam praevalenter in sanguinem exserat, hoc color carmineus, placentiae resolutio, mucoris odorisque omnis defectus iudicant.

C) *Sal communis.*

a) *Caro* die insequenti offert colorem griseo-rubrum, et odorem mitiorem spirat; liquidum pellucidum coloris rubelli, saporis caeteroquin salsi est, odor in eo deficit; sed *tertio* die eum carni analogum exhalat; *quarto* caro tenax hinc inde in decursu fibrarum lusum colorum exhibet, liquidi odor obtuse carneus distinguitur; status hic usque diem *decimum* in eodem fere tenore viguit, tantum liquido pro parte evaporato superior carnis superficies aëri contigua parco muco tegitur, de reliquo caro rubella fibris densis instruitur, et odorem proprium moderatum retinet; liquidum rubellum e contra odore ei panis recenter pisti analogo imbuitur, sicque putredinem praevertendo odore qualitative mutato impregnatur.

b) *Piscis* altero die tantum odorem mitigatum refert, nec squammæ facile secedunt; *tertio* liquidum est rubellum, floccosum, et piscem moderate redolens; *quarto* odorem intensius spirans, quæ piscis et liquidi conditio usque diem *decimum* fere eadem mansit, nec quidquam præter liquidi parcam evaporationem observabatur, adeo ut piscis nunc harengo analogi in putredinem nisum Salis solutio contracto quidem odore piscino præverteret.

c) *Urina* altero die exhibet sedimentum floccosum, quin odorem proprium amitteret, hæc eius conditio usque diem quartum immutata manserat, tunc sedimenti copia increvit, odore tantum *decimo* die non nihil aucto. Liquidum, quale hic ex urina et Sale mixtum cernitur, est limpidum, hypostasi larga instructum, et cuticula hodie primum orta, ad lucis radios irrisantè tectum. Virtutem itaque antisepticam in præpediendâ urinae putredine Sali competere experimento conformiter nemo negabit.

d) *Sanguis* die insequente extus coloris carminei, interne sibi proprium retinet; in superficie liquidi fuscî, in odori, pellicula splendens conspicitur, quo in statu vix intercedente mutatione conspicua usque diem *decimum* totus apparatus semet sustinuerat, tunc sanguis omisso in dies colore superficiali fuscum induit; liquidum aequè homonymi coloris consistentiam parum spissiolem offert: utriusque odor perexiguus, nec facile quoad qualitatem determinandus, adeo, ut virtus Salis antiseptica et in hoc casu fundetur, quin solutio odorem contrahat.

e) *Caseus* cum solutione Salis per diem relictus fit pallidior, consistentiae firmiteris, fragilis, retento odore proprio licet mitigato, liquidum adhuc pellucet caseumque moderate redolet, sed die *tertio* fit turbidius, sordide album, odorisve caseosi. Praeter haec nec aliud usque diem *decimum* observare quidquam licuit: tunc caseus durus, odoris normalis, saporis valde salsi; liquidum autem moderate opacum odoris caseosi non aliud, quam putredinem evitatum contracto simul caseoso odore manifestat.

f) *Brassica acid* primo die nullam cum liquido subit mutationem; *secundo* liquidum parumper turbidum brassicam redolet; *tertio* brassica fit pallidior, ac eius odor in liquido intensius praedominatur; *quarto* status idem qui heri; *quinto* mucor parca quantitate in superficie compareret, quae contentorum conditio usque diem *decimum* excurrit, et tunc tantum evaporato pro parte liquido brassica mucore albo conspersa odoris quidem est acidiusculi, sed minus grati, coloris obscurioris, ac consistentiae mollioris; liquidum pariter mucorosum eiusdem ac brassica odoris, adeo, ut cohibita usque in diem *quintum* corruptione influxibus externis, et processui chemico interno amplius resistendo impar, putredinem cum liquidi antiseptici destructione lente incedentem praevertere ultro non potuerit.

Comparatis omnibus quaequae de virtute antiseptica Salis in singulis corporibus comprobata fuerant extra omne dubium ponitur eum insigni vi putredinem praevertente pollere, ita tamen ut odorem, eo sanguinis excepto, moderate contrahat, et corporum bonam qualitatem pro tempore intactam conservet, quae virtus maxime in carne, sanguine, urina, et caseo, relative minus in pisce, minime in brassica se manifestaverat.

## D) *Chloretum calcis.*

a) *Caro*, ut in omnibus experimentis Chloreto calcis hoc scopo institutis, primo die nullam visibilem mutationem perpessa est, liquidum vero Chlorii odorem uberrime eructat; *altero* diluculo caro colorem pallidum, hinc inde virescentem offert, huius uti et liquidi odor ei amygdalarum amararum analogus, liquidum praeterea spuma copiosa sordide alba tegitur; *tertio* die caro extus fla-

vo viridis, interne rubra, consistentiae tenacis est; liquidum autem rubello colore tingitur: utrumque odoris eiusdem ut heri, sed etiam alcalescens obscure percipitur; *quarto* caro tenacior, huius et liquidi odor alcalescens magis evolvitur, haec experimenti conditio usque diem *decimum* vix mutata perdurat, tunc caro exhibet colorem superficialelem flavescenti griseum cum pistacino viridi maculatum, intus roseo rubrum; tactu parumper aspera cernitur, odor eius illi amygdalarum amararum simillimus, liquidum rubellum eodem, quo caro, odore imbutum, et pellicula tenui tectum putredinem quidem praeventit, sed et carnis qualitatem admodum in superficie externa mutavit, nec eius odorem contraxit, imo de suo partem aliquam carni communicavit, e cuius connubio odor peculiaris amygdalarum amararum prodiit. Experimento ultra quoque continuato consistentia carnis iterum mollior evaserat, certo indicio: Chloretum calcis eousque virtutem exerere, donec protracta decompositione Chlorio suo spoliatur.

b) *Piscis* solutione Chloreti calcis in alterum diem expositus carnem flavo colore superficietenus tinctam, consistentia duriorem, et una cum liquido spumoso odorem Chlorii mitiorem, ei amygdalarum amararum accedentem exhibet; *tertio* piscis consistentia adhuc durior, liquidum sordide album; *quarto* die piscis in superficie carnis antea dissectae colorem lateritium, et squammas cuti tenaciter adhaerentes sistit, nec aliam deinceps mutationem patitur, quam odorem piscinum die *nono* adhuc ubtuse, sed *decimo* iam manifeste percipiendum; liquidum flavescens prae evaporatione inspissatum eundem, quem piscis, inhibita hucdum putredine spargit odorem.

c) *Urina* ad affusionem solutionis supra nominatae illico effervescit, minus tamen ac ea pudrida, et calorem auctum plane in eius atmosphaeram extensum producit; *altero* die exhibet liquidum sordide album, odoris parum alcalescens, spuma copiosa tectum; *tertio* odor alcalescens mitior, liquidum turbidum spuma nivea inde ab initio porro quoque tectum, quo in statu usque diem *decimum* fuerat: nunc primo comparet odor amygdalis amaris analogus, alcalescens nihilominus praevalente; liquidum de caetero turbidum sedimento cretaceo instructum, spuma parca et crusta simul tenui ac nitente te-

gitur; indicio putredinem hunc ad usque diem praepeditam fuisse.

d) *Sanguis coagulatus* post nycthemeri spatium offert superficiem externam coriaceam, glabram, colore gummi elastico analogo imbutam, interne massam minus densam, friabilem, rubrò fuscam; liquidum rubellum odoris amygdalarum amararum; *tertio* die nulla alia mutatio; *quarto* sanguinis consistentia densior, liquidum magis turbidum, ac spuma virescente tectum: eadem conditio usque diem *decimum*, incremento dietim vix observando, perdurat, ita, ut tunc sanguis consistentiae friabilis externe crustam gummi elastico demta ductilitate, tenacitate, odore, ac in aethere solubilitate analogam offerens, interne consistentiam friabilem particulis debiliter conglomeratis, colorem floribus Balaustiorum simillimum, in contactu cum aëre libero intra minutum obscurandum, exhibeat; liquidum rubellum die *undecimo* virescens, et odorem amygdalarum amararum spargens, crusta opaca tegitur. Facta e supra dictis ad virtutem antisepticam conclusione, quin odorem sanguinis sibi appropriaret, experimento finis imponitur.

e) *Caseus* in frusta scissus antea durus *altero* die penitus emollitur, estque coloris albi, non ut antea flavi; huius uti et liquidi spumosi sordide albi odor alcalescens discernitur, *tertio* die liquidum sordide flavum, ac spuma alba tectum conspicitur; *quarto* consistentia casei in superficie mucosa tangitur; *quinto* liquidum turbidum deposito deinceps in fundum vasis mucosum et sedimentum cretaceo sponte clarificatur, ac in isto statu usque diem *decimum* ad sensum immutatum haeret, caseus autem in superficie tunicam mucosam induit, reliqua eius substantia utcunque tenaci in statu normali permanente. Liquidum flavicans, pellucidum, crusta tenui tectum, odore e caseoso set alcalescente composito gaudet, adeo; ut inhibita casei putredine ipsum liquidum nonnisi ultimo hoc die odorem casei moderatum spiraret.

f) *Brassica acida* eodem adhuc die, quo liquido antiseptico exponebatur, odore proprio parum mutato colorem pallidiorem induit; *altero* die color flavicans, consistentia autem durior fit, liquidum sordide album est odoris acidi in alcalescentem vergentis; *tertio* consistentia brassicae fit tenax, texturam fibrosam mentiens, odor autem una cum liquido alcalescens, qui nono experimen-

ti die rursus quidquam acidi redolet brassica consistentiam duram cum attactu aspero habente; die *decimo* ad sensum parum cedente, caeteris characteribus una cum iis liquidi antiseptici in salvis permanentibus.

Quis itaque non videt efficaciam insignem in corporibus a putredine cohibendis in Chloreto calcis luculentissime se manifestantem! possidet illud eam et quidem in gradu non exiguo, ita tamen, ut in corporibus, manifestissime autem in eorum externa superficie immediate contingenda, qualitativam inducat mutationem, quam in caseo per emollitionem superficialem; salvo eius medullio, in caeteris autem maceratione inductam lustranti substerneret oculo. Quod odorem corporum respicit, eum vel momentaneè suppressit, vel saltem peculiariter modificat, ac ita modificatum per totum fere experimenti decursum eodem in vigore tenet, ita ut nonnisi decimo die odor piscis, imprimis casei, sed et brassicae Inchoantem corruptionem indicans nares exercitatos non effugeret.

Liquida antiseptica quoad *efficaciam* suam comparative spectata in praeventendam putredinem non exiguam conferre symbolam, e supra factis experimentis, concludi potest; sed et una ex iis patet eadem liquida antiseptica non ubique aequalem relate ad se invicem tenorem observare. Quod putredinem praeventendam concernit in genere maximam virtutem exseruit Chloretum calcis, caetera ordine retrogrado semet excipiunt, ita ut Acetum postremum sit; huius causa praecipua in liquidorum antisepticorum minori vel maiori in destructionem nisu fundari videtur; iam vero corpora organica et horum producta, quale etiam Acetum est, certo citius in corruptionem nituntur, quam vehicula corporum anorganicorum, sed et horum destructio a propria qualitate, a qualitate et quantitate salis soluti, contentorum item quorundam organicorum copia ac indole, nec non ab externis influxibus destructioni faventibus pendet, cum vero hocce in experimento omnibus circumstantiis pari ratione semet habentibus, nonnisi salia et corpora organica iis tractata discrimen faciant, manifestum est discrimen duplex: unum scilicet pro ratione corporum organicorum, aliud pro ratione liquidorum antisepticorum locum habere posse. Relationes liquidorum ad corpora tractanda suis locis in specie designavi, nec in genere ad calcem experimentorum nectere intermisi, generalia haec resul-

tata inter se combinata eam dabunt quoad putredinem praevertendam in liquidis antiseptiis differentiam, ut experimentis conformiter non alia quam suprafata liquidorum classificatio institui possit.

*Odor* a corporibus organicis per liquida antiseptica contractus, stantibus iisdem circumstantiis reciproca generalim relatione in liquida ipsa directa, est in ratione inversa effluviis odororum cuiusvis liquidi, eius intensitatis, efficaciae, nec non durationis effectus, qua fit, ut odor corporis tractandi ab eo liquidi antiseptici aut supprimatur, mitigetur, aut saltem alteretur, vel plane a liquido inodoro contrahatur, quo respectu primo loco Nistrum, dein Sal, Acetum, tandem Chloretum calcis dislocanda veniunt.

Facta inter experimentum primum et secundum combinatione, ratio quoad odorem a liquidis antiseptiis attractum, uti et horum secundum eandem classificatio manebit eadem; virtus autem putredinem supprimendi ad eam praepediendi in illa erit ratione: ut quemadmodum liquida antiseptica putredinem generalim tanto temporis intervallo sustulerint, quanto eadem corpora recentia iisdem sub externis influxibus indiguerint, ut prima putredinis indicia prodant; ita inversa ratione corpora recentia liquidis antiseptiis tractata duplum, triplumve pro ratione liquidorum antisepticorum temporis eiusdem transigunt, donec corruptionis suae indicia manifesta exhibeant.

## Experimentum Tertium.

Hoc continebit observationes una cum suis resultatis, factas cum liquidis antiseptiis lavando vestimenta lineae hominum pauperum, quo scopo selegi vestimenta pauperum infirmorum pedibus exulceratis et diarrhoea affectorum, nimis foetentium, nec munditiei scrupulosam curam gerentium, quantitate cuiusvis liquidi ad duas medidas mensurata.



### A) *Vestimenta Aceto tractata.*

Indusium sordidum ingratis olens, imo etiam pure conspurcatum, in Aceto per horam maceratum, postea exagitatum, ac in aura libera siccatum omnem perdidit odorem ingratis, imo eius loco alium rescipientem contraxit: mundities multum emendata, cum loco coloris antea fusci nunc sordide albus compareat, puris vestigia tamen adhuc permanent, quae irradicata non nisi ad subsequam aqua saponata lotionem difficulter elui poterant, indusio colorem albo flavescentem, odorem nullum, attactum vero molliorem exhibente. Acetum autem, quo linteam macerabatur ac lavabatur nimis turbidum, colorem fuscum, odoremque proprium antea fragrantem adeo imminutum exhibuit, ut eum saltem mitissime evolveret.

Non absimili ratione tractare iussi perisoma, et linteamina pedes exulceratos involventia, eo cum effectu, ut perisoma ita mundaretur prout indusium, linteamina autem fusca manerent, et tantum inodora ac molliora evaderent, Acetum autem ingratisimum ab iis contraheret odorem.

### B) *Vestimenta solutione Nitri tractata.*

Vestimenta similia iis Aceto tractatis ab alio misero agro desunta, ac solutione Nitri eadem, ut cum Aceto, ratione tractata maiorem contraxerant munditiam, ac maculis paucioribus referta magis aequabilem habent colorem; post primam lotionem siccata et linguae admota saporem ab adhaerente Nitro-refrigerantem offerunt. Ipsum liquidum sordidum, fere fuscum, immunditiam cum eius odore contraxerat. Absoluta dein cum aqua simplici lotionem secundam, mundiora, insipida, et ut ante inodora cernuntur, neque tamen color nitide albus eis conciliari poterat.

### C) *Vestimenta solutione Salis communis tractata.*

Haec absoluta post unius horae macerationem lotionem et subsequa exsiccatione quoad munditiam ita se habuere, ut ea cum Aceto tractata, tantum odorem mitem, pauca puris vestigia, et saporem salsum exhibuerant, attactum

porro ut caetera mollem praesetulere; quippe characteres repetita cum aqua saponata lotionem ita emendatos, ut tantum color nitide albus in linteo rudiori vix inducendus desideraretur. Solutio salis turbida tandem odorem ingratum minori tamen in gradu sibi concivit.

#### D) *Vestimenta solutione Chloreti Calcis tractata.*

Vestimenta prioribus non absimilia ab aegris in loco angusto congregatis desunta, eadem ut priora ratione tractata, post lotionem siccata talem conspectum exhibent, ac si pulvere cretaceo conspersa essent, attactu sunt aspera, ad olfactum Chlorium produunt, in lingua sensum siccitatis, plane et ardoris excitant; absoluta lotionem altera ope aquae saponatae suscepta, et siccatione reiterata, indusium et perisoma caeteris paribus albedinem non contaminatam et maculas a pure residuas iam penitus deletas obtulere; linreamina digitos pedum prae pernionibus gangrenescentibus obtegentia sordide alba permanserant. Attactus omnium linreaminum asperior, sapor acidiusculus, et odor Chlorii licet exiguus percipitur. Solutio autem absoluta lotionem coloris sordide albi in flavum cadentis, odoris proprii mitis, saporis demum adstringenti urentis probe discernitur.

Ex omnibus liquidis inter se hoc respectu comparatis id concludere licet, quod in genere quodvis eorum ad munditiam vestimentorum sub lotionem quidpiam conferat, odorem, plus minusve contrahat, aut saltem odoris proprii detrimentum paliatur; singulis tamen particularibus rite investigatis, ac debite ponderatis Chlorium calcis omnibus palmam eripit, nam odorem suffert, de proprio etiam in gradu mitiori pluribus grato, vestimentis aliquid communicat, et albedinem, utut fieri potest, prae caeteris maximam conciliat, adeo ut in linteis artificialiter et brevi tempore, ac quacunque anni parte dealbandis usus eius optime commendari mereatur. Exserit autem in simili negotio eum, quem lux, in linreamina effectum, saltem modo diverso, nam Chlorium cum principio tingente intime unitur, et subsequa cum alcali tractatione una cum eo suffertur, lux autem principium tingens affinitate praeparante idoneum reddit ad nexum cum oxyge-

nio atmosphaerae ineundum, unde indolem acidi acquirens cum alcali tractatum suffertur.

Peculiaris modus, quo lintea dāl̄bata corpus humanum grate afficiunt, magis sentitur, quam ut tonis articulatis explicati possit; de iis autem cum Chloreto calcis tractatis id imprimis reflexionem meretur, quod in individuo antea pediculis scatente, ad indusium et periosoma superinductum per aliquot dies nullus comparuerit, quamvis vicini iis abundarent: certo indicio insecta odore Chlorii per aliquot dies durantis fugari.

## Experimentum Quartum.

Hoc complectitur observationes in locis foetentibus factas, ad determinandum, an liquida antiseptica foetorem sufferant, et an ipsa foetorem contrahant, nec ne? hoc scopo elegi loca mihi maxime obvia, et ad faciendum experimentum accomodatissima uti sunt: Cloaca, Ornithotropheum, Nosocomium pauperum in et externis morbis afflictorum, denique ipse locus, ubi corpora experimenti gratia putredini commissa sua putrida spargebant effluvia. Liquida antiseptica pro singulo loco ad unum sextarium adhibere tentavi; hoc non sufficiente duplam eius dosim in usum traxi; exponam ea ordine, quo in locis foetentibus tentabantur;

### A) *Acetum.*

a) In *Cloaca* Acetum fragrans vesperi expositum subsequo mane aërem antea foetentem moderato odore acetico ita replévit, ut foetor vix distingueretur; Acetum autem praeter odorem proprium mitigatum, ac mucum parcum in eius fundo haerentem, ex aëre probabilius praecipitatum, nullam aliam mutationem exhiberet.

b) In *Ornithotropheo* unam orgiam longo, tres pedes lato, et totidem alto sub gradibus aedificii recondito, aequae foetenti absentibus de die altilibus interea Acetum exposui eo cum effecta, ut in ea regione, ubi Acetum fuerat, vesperi in circumferentia duorum pedum odor aceticeus perciperetur, penes hanc ad unum circiter pedem nullus odor distingueretur, permanente in reliqua plaga odo-

re a faecibus altilium exorto, sed et hic relicto per noctem Aceto usque alterius diei diluculum disparuit penitus, Aceto praeter magnam odoris sui iacturam nihil aliud offerente.

c) In *Nosocomio hiberno pauperum suburbii S. Francisci*, ubi aegri copiosi in singulo cubiculo quatuor orgiarum quadratarum lato penes invicem super asseres degabant, ac per suam exhalationem, multo magis per ulcera foetida aërem essluviis ingratissime olentibus inpraegnabant, ubi aër per ventilationem, fumigationem, ac aquae insersionem difficulter emendari poterat, in hoc inquam loco Aceti virtutem definire tentans, id ad sextarium unum in patina ampla exposui, quin notabilis effectus induceretur; ideo repetita vice duplam quantitatem exposui observavique altero die odorem foetentem multum imminui, ac eum Aceti in distantia unius fere orgiae nares grate vellicare, ipsisque aegris bene conducere; liquido per triduum ibi relicto omnis odor ingratus disparuit, imo Aceto sublato aura per nycthemerum incolumis mansit, cum tamen causa aërem corrumpens persisteret, altero die pristinus foetor rursus redire coepit.

Acetum pro parte evaporatum odorem nimis restrictum, ianque in vapidum nitentem offert, in fundo autem exhibet mucum largum, floccosum, certo indicio: Acetum odorem foetidum, destructis essluviis organicis aëri immatantibus durantibus essluviis aceticis, sufferendi virtute gaudere, quin eum attrahat.

d) In *Cubiculo experimentis dicato*, ac putridis substantiarum organicarum essluviis ita referto, ut et vicinos molestaret, nec dupla Aceti quantitas multum profuerat, nam per nycthemerum exposita solummodo sistendo, odoris ingrati incremento, non autem ei sufferendo par erat; imo praeter odoris proprii iacturam vix non cadaver redolebat, mucumque copiosum in fundo uti et in superficie exhibebat.

## A) *Nitrum.*

a) In *Cloaca* vase idoneo super crateres demissa Nitri solutione altero mane aura foetorem notabiliter mitigatum, non tamen penitus sublatum offert, solutione odore parce contracto imbuta, nec aliam mutationem perpessa.

b) In *Ornithotropheo* per nychthemerum omnem odorem suffocando eam solutio Nitri subiit mutationem, ut odore loci contracto scateret.

e) In *Nosocomio pauperum* Nitri solutio ad unum sextarium tempore vespertino exposita est eo effectu, ut altero mane odorem antea ingrattissimum iam modo moderatum, a meridie vix percipiendum reperirem, relicto adhuc usque diem sequentem liquido rursus moderate observandum, nec sublato liquido per biduum ad pristinam intensitatem augendum. Solutio Nitri prae calore nimio ad medietatem evaporata, depositis ad vasis marginem crystallis prismaticis odorem obtuse olentem, et in fundo mucum floccosum exhibet. Reverso post triduum odore duplam solutionis Nitri quantitatem exposui eo cum effectu, ut odor foetidus sequenti die plane non observaretur, nec amplius relicto in diem quintum liquido, reverteretur; in liquido autem praeter mucum, fundum tegentem, odor nauseosus perciperetur.

d) In suprafato *cubili* solutio per noctem foetorem ita sustulit, ut sequenti mane aura depurata in eo hauriri potuerit, liquido prae contractis effluviis putridis foetente, ac fundum muco largo obiectum exhibente; sed iisdem effluviis perdurantibus, liquido onusto virtutem suam amplius exserendo impari, circa meridiem recrudit odor putridus, non nisi renovata Nitri solutione mitigandus. Ex his patet, quod virtus aërem depurandi attracto odore, Nitro minime denegari possit; sed docentibus experimentis huius efficacia in sufferendo odore putrido effluviis organicorum tunc vigeat, si iusta pro eorum ratione dosi exponatur, secus eum saltem mitigatum pergit eoque, donec effluviis putridis saturaretur Nitri solutio.

### C) *Sal communis.*

a) In *Cloaca* per noctem relicta Salis solutio vix distinguendum, praeter auram refrigeratam, exseruit effectum, quin simul nullam sui alterationem praeter teporem manifestaret.

b) In *Ornithotropheo* intra nychthemerum odorem mitigavit, nec penitus sustulit, sed nec ipsa solutio odorem ullum contractum manifestavit.

c) In suprafato *Nosocomio* illico duas medias solutionis exposui, sed non alio cum effectu, quam ut foetoris

augmento limes poneretur, quin solutio praeter lentam evaporationem ac subsequam crystallisationem per biduum aliam mutationem exhibuisset, ac ideo ad aegrorum molestias sublevandas alia liquida antiseptica in usum vocari debuerant.

d) In *Cubili experimentis* dicato effectum longe inferiorem exseruit, quam in loco supra citato, nam odorem putridum redoluit, quin vel incremento foetoris obicem poneret.

Exiguam Salis solutioni inesse virtutem aërem foetore privandi experimentis comprobatum habeo, nihilominus ei omnem denegare non ausim, cum observatio doceat in locis solutioni Salis obviis eo tempore, quo foetoris regeneratio deesset, ut in ornithotropheo exclusis interea altibus factum fuerat, odorem imminui, quamvis et aur libera aliquid huc contulisset; secus aut in eodem statu foetorem permanere, aut saltem non ea, qua antea alacritate incrementum capere rursus experimenta probant. Quod odorem per solutionem Salis attractum concernit, is caeteris paribus minimus est; cum haec odora effluvia, nisi putredine evoluta fuerint, aut non contrahat; aut, quod verosimilius est, contracta decomponat, neque prius manifestet, quam iis saturatur. Hoc observare licuit in Sale charta involuto, et casu in cistam, in qua perna cocta recondita fuit, posito, qui intra sex dies aëre eotum humido pariter humectatus odorem pernae coctae gratissime aemulabat.

## D) *Chloretum Calcis.*

a) In *Cloaca* tempore vespertino super crateres exposita Chloreti calcis solutio altero mane auram odore suo tantopere imbuat, ut omnem alium quantumcunque ingratum acceret; liquidum in superficie crusta tenui albicante teclum sub omni motu Chlorium effervescendo eraclat. Succedente hoc tentamine solutionem in ipsam cisternam effudi, ac eodem die omnem foetorem praepedivi, nec nisi die insequente rursus percipiendum.

b) In *Ornithotropheo* iam intra sex horas omnem odorem destruxit, auram odore proprio imbuat, quin alium contraheret.

c) In *Nosocomio pauperum*, caeteris liquidis antisepti-  
cis maiori minorique effectu adhibitis, tandem Chloretum

calcis forma solutionis exposui eo cum effectu, ut odor foetidissimus, ipsos parabolanos ei asvetos adeo male alliciens ut ambo infirmarentur, intra noctem ita sublatus fuerit, ut altero die vix ullum sui vestigium relinqueret, sed tota aura Chlorium aegris gratissimum moderate spiraret, liquido gas suum usque diem *tertium* eructante, quousque fere penitus evaporaret, seposito nunc liquido amplius inodoro, *tertio* nonnisi die odor foetidus revertebatur fenestris interea prae hyemis rigore oclclusis, duplam itaque tentavi solutionis portionem cum eo effectu experimento substernere, ut odor Chlorii quantitate maiore atmosphaeram imbueret, et tussim in aegris provocaret. Eandem quantitatem in alio cubiculo pariter ut prius aegris repleto, valde foetido simul ac humido exposui, liquido saepius subacto intra nychthemera reperi auram blandissimam, et licet parietes mucorosi humore maderent, nullum in aëre ingrati odoris reperire poteram vestigium. Ipsum tandem Chloretum calcis in dormitorio per totam hyemem aërem reclusum, ob dormientium exhalationem odorem acidum spirantem tenente, forma pulveris in charta ad *Unciam unam* depositum, post biduum omnem atmosphaeram penetranti refecit odore, quin de eo cubilis quidquam participasset.

d) In loco tandem experimentis dicato ubi putredo corporum summum attigeret gradum, et caetera liquida antiseptica tantum palliativum sisterent remedium, solutio Chloreti calcis per noctem tantam aëris depurationem produxit, ut ipse Chlorii odor fere ita ac antea odor cadaverosus molestus evaderet; odorem foetidum, per effluvia putrida iam iam vicino quoque cubiculo communicatum, pavimento *Uncias sex* suprafatae solutionis inspergendo intra quadrantem horae ex integro sustuli, nec alter deinceps, quam Chlorii odor percipiebatur, ipso liquido odorem effluviarum putridorum nunquam contrahente; adeo ut de virtute Chloreti calcis odorem effluviarum qualiumcunque etiam in gradu summo constitutum suffe-  
rendi, quin illum odorem attahat, nullum amplius dubium subversetur, idque omnibus hoc respectu palmam praeripiat: pro quo asserto pugnant phaenomena putredinis suppressae, pro hoc experimenta peculiariter hoc fine instituta, pro hoc tandem ipsa ratio consecutaria legitime deducendo.

Cacteris quoque liquidis antisepticis analogam virtutem competere experimmenta comprobant, sed et haec longe inferioris indaginis esse eadem evincunt, imo et inter haec non exiguam discrepantiam vigere certum est: adeo ut Sal hoc respectu virtutem minimam exserat, inter Nitrum et Acetum eam concludo existere differentiam, quod Acetum citius ac intensius, sed et una minus durabilem exserat effectum, quam Nitrum.

Ne itaque sine fundamento efficacia Chloreti calcis tantis laudibus elata celebretur, pauca corollarii instar attributa in medium ferre iuvabit, eo a fortiori, quod fumigationes per Cel. *Guyton* propositae a multis cum maiori applausu celebrentur. Praestat autem Chloretum calcis pluribus respectibus: nam leviori practio venit; non requirit apparatus artificiosum; Chlorium non tam ultuarie, sed sensim diu noctuque eodem tenore eructat; minus intense sed eo securius agit; pulmones minus irritat, efficaciae suae regimen curatius admittit; pro infantibus et pueris minus periculum pertimescendum gignit; tandem ubi necessarium est affuso acido sulphurico etiam maior illius quantitas repente eliberari potest, igitur praeterquam quod fumigationes *Guytonii* ubique suppleat, ac proprias quasdam dotes habeat, merito ei praepondium eripiendi dubium de principatu solvit.

Tandem pro complemento, cum mens humana non contenta phaenomenis, etiam horum causas indagando scrutetur, qui fiat, ut certo sub rerum concursu hoc aut illud emergat? ita et circa liquida antiseptica imprimis circa solutionem Chloretum calcis tenentem, cuius usus crebrior in dies magis magisque non tantum in Oeconomia et Technologia, sed et in arte scientiave nostra saluberrima altiores radices figit, circa hoc inquam princeps antisepticum omni sub respectu merito quaeritur, quomodo fiat ut Chloretum calcis putrida organicorum elluvia destruat, et quomodo odores sufferat? seu per quid, et qua ratione suam exserat efficaciam? quaestio pro initiante respoſu ardua, nec nisi attenta experimentorum pervestigatione, ac resultatorum legitime deductorum combinatione solvenda. —

Chloretum calcis iam in statu sicco consideratum absque omni additamento Chlorium dimittit, ipso halitu oris, imo et calore augendum, quam maxime affuso acido sulphurico evolvendum, ac odore in ratione directa evolu-



tionis semet manifestandam; solutio autem ad halitum oris turbatur, aëri libero exposita cessante sensim omni odore sedimentum cretaceum deponit, et hoc in casu, affuso acido sulphurico, gypso exorto effervescit. His rite perpen-  
 sive principium efficax ipsum Chlorium esse extra dubium ponitur, quod calci in statu sicco nimis laxè adhaerere videtur, ut sponte ab eâ secedat, hoc idem fit in solutione saltem gradu longe mitiori, nam hic arctior partium constituentium nexus intercedit; acceleratur autem Chlorii evolutio etiam per acidum carbonicum, quod e turbato per effluvia animalia liquido, imò et acido carbonico ex atmosphaera contracto probatur, quod dein acido sulphurico superfuso, effervescendo secedit, ideo solutio Chloræti calcis pro maiori minorive animalium exhalatione plus minusve de Chlorio dimittit, quo fit, ut cum eo putrida organicorum effluvia, uti et odora aliorum corporum in contactum veniant, et mutata indole chemica deleteriam suam efficaciam exuant, nec prius sensus externos molestant, quam repetitis in loco recluso putridorum effluviis decompositionibus aër iis foetus respirationem infestet, ac ideo in similibus casibus subsecuta licet effluviis putridorum destructione, cum ea sicut quaecunque corpora saltem immutari, non vero annihilari possint, suscepta ventilatione commodissime tolluntur. Eadem virtus effluvia odora, et putrida decomponendi, priusquam ad ipsum liquidum deveniant, in causa est, cur liquidum odorem nunquam contrahat donec Chlorium eructet, nec nisi eo penitus orbatam putrida effluvia admittat; unde licet initio paradoxum videretur Chloræti calcis solutionem post seriem dierum quorundam corporum putridorum aliquam odoris partem contraxisse, nihilominus id a veritate absonum esse theoria experimentis innixa, proinde a posteriori, luce meridiana clarius demonstrat.

---

# T H E S E S.

1. In vi antiseptica Aceti, Nitri, Salis communis, et Chloreti calcis relativa obtinet differentia.
  2. Chloretum calcis nihilominus vim antisepticam in supremo gradu possidet.
  3. Medicus disponit, natura sanat.
  4. Systema nosologicum omni respectu absolutum adhuc in votis est.
  5. Clinicum ambulatorium perfectioni scientiae, uti et aegrorum saluti insufficientis.
  6. Certior medicamentorum vires explorandi methodus non datur, quam observatio effectuum quos in organismo imprimis infirmo exserunt.
  7. Morbus quo minus sanabilis, eo pluribus gloriatur pharmacis.
  8. Medicus rationalis minus morborum forma, quam indole regitur.
  9. *Diagnosis morborum infantilium ac ea caeterorum animalium e communi fonte hauritur.*
  10. *Febris intermittens, etsi specifico salutetur remedio, persaepe aliam requirit therapiam.*
  11. Noma, esto per se lethalis, arti subinde cedit.
  12. Paracentesis quousque fieri potest in Hydrope pro-rogetur.
  13. Ophthalmiae sistunt fertilissimum fontem morborum ocularium.
  14. Nulla e coremorphosim instituendi methodis indicationi in omni casu respondet.
  15. Vaccina tutoria est unum e praecipuis tuendae frequentiae populi adminiculis.
-